



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Vtî amans anima mundum huncce fallacem deploret: in quantas item calamitates per proroparentum præuaricationem inciderimus vniuersi.  
Cap. IV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

amantissimum, potētissimum, dulcissimum, & ab vberibus plenissimæ consolationis tuæ merear consolari, destructo & deiecto hoc pariete inimicitiarum, scilicet corpore meo, quod tunc post mortem principium veræ vitæ incipiam diligere & desiderare propensius. Scio enim me idem corpus tunc incorruptibile recepturam & cum ipso stolam duplicem habituram, nec impleri poterit gaudium meum sine reparatione corporis mei, quod nunc licet in tristitia & dolore mihi cooperatur, vt oleum laudis pro luctu, vel pallium gaudij pro mœrore, coronam dulcoris pariter & decoris pro cinere humiliationis & squaloris, præstante te dulcissime Sponse meus quandoque feliciter merear obtinere, cum canente tuba nouissima, mortui resurgent incorrupti & nos immutabimur: cum corruptibile hoc inducet incorruptionem & mortale hoc inducet immortalitatem: quando absorbebitur mors in victoria, ita vt non solum non timeatur, verum etiam nec mentio eiusdem habeatur, omnibus securissimè, quietissimè, iucundissimèq; viuentibus, & vitam æternam in pane viuæ, in pane Angelorum manducantibus, & haustum vitæ perennis de fonte vitæ, fonte dulcissimè & lucidissimè haurientibus, bibentibus omnibus pro voluntate & capacitate sua, quantumcunque placet, quantumcunque liber de vita vitam, de salute salutem, dulcedinem de dulcissimo corde tuo dulcissime Christe Iesu.

*Vti amans anima mundum huncce fallacem deploret: in quantas item calamitates per protoparentum præuarcationem incidimus vniuersi.*

## CAPVT IV.

**Q**uid autem de hoc mundo immundo loqui poterò? Quid mihi & tibi o munde immundissime, carcer tenebrose, ergastulum squalidissimum, sentina fetidissima? Quid mihi, inquã, & tibi est? Quamdiu in te exiliũ patiemur, exules filij exulantis olim, nunc autem in patria lætantis Adæ? O infelix commercium, cum ille à serpente deiectus pro tua miseria paradysi delicias commutauit. Infelix verè transiit de incorruptione ad corruptionem, de vita ad mortem, de luce ad tenebras, de gaudio ad dolores, de colloquio dulcissimi, suauissimi & totius desiderabilis Dei, ad confabulationes amarissimæ, & perditissimi, & pessimi inimici. Sed vtinam radix sola, id est, primi parentis vitium incurrisset, vt non simul cum ipsis & in ipsis tota posteritas corruisset. Sed heu corruerunt homines omnes, & ego in omnibus non enim melior sum, quàm patres mei. Corruimus inquam, in hanc vallem lachrymarum, conuallem plorationis, foueam tenacis bituminis, in hoc exilium plenum laqueis innumeris & inextricabilibus, plenum timore nocturno semper suspectum à sagitta volante in die, semper timorosum à negotio perambulante in tenebris, semper horribile ab incurso & demonio meridiano. Quis locus hic securitati, aut quieti relinquitur? In nocte aduersitatis nos timor angustat, in die prosperitatis sagitta dilationis nos vulnerat, in tenebris ignorantia diuersis modis demonia nos negotiosa decipiunt, in meridie honorum non nunquam incurrentibus nobis demonijs à dierum nostrorum medio, id est, à bonis operibus ad perfectionem tendentibus, reuocamur. *Hæc mihi, quia inter hæc incolam meus prolongatus est.*